

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,  
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von  
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0233

0231

0237

0227

221

extrinseca templi et ex aliis muscheis, in quibus fui. Ab intus enim nullum habet (**B**) sanctuarium suarum reliquiarum, in quo aut sacramenta aliqua aut reliquiae sint reconditae, cum nec reliquias nec sacramenta habeant. Legi tamen in quadam chronica, quod pedes et manus Machometis ibi sint repositae et reliquum corpus sit a porcis devoratum. In illo profano templo nullum est altare, nulla imago nec picta nec sculpta, nulla sunt ibi lignea sedilia, nec scamina, nec stallae, sed totum pavimentum vario et polito marmore stratum ubique patet, et parietes sicut extra sic et intus opere graeco sunt ornati, ita quod totus circuitus templi per parietes est vacuus, et nihil penitus est intus, nisi quod lampades de sursum suspensae ex testudine dependent ardentes. Dicunt tamen quidam, in medio templi rupem super pavimentum e terra consurgere ferro undique cancellatum, cui nullus Sarracenorum aut infidelium aliquatenus audet vel praesumit appropinquare. Veniunt tamen et peregrinantur a longinquis partibus rupem illam devote visitare et videre cupientes, et propter hanc rupem etiam templum ipsum in vulgari locutione rupem sanctam nominant. Multa etiam magnalia super rupem illam dicunt esse facta, in primis namque Melchisedech super eam panem obtulit et vinum, Genes. XIV. Et Jacob patriarcha ibi dormivit, rupem hanc sub capite habens, et ab ea vidit scalam in somniis, cuius summa coelum tangebat, et Angelos descendentes et ascendentess vident eamque mane oleo inunxit, Genes. 28. David etiam Angelum super rupem illam stare vident cum evaginato gladio, ut habetur 1. Paralip. XXII. Insuper quum sacerdotes ponebant super rupem illam holocausta, mox ignis divinus descendit et apposita consumsit. Dicunt etiam, quod Jeremias propheta excidium civitatis et templi in hanc rupem conclusit arcam Domini, quae se mirabiliter operuit et arcam absorbit. Hinc ipsi arbitrantur, arcam eandem adhuc ibi manere inclusam. Super rupem illam Christus fuit oblatus die XL., quum Simeon accepit eum in ulnas suas, Lucae II. Dominus Jesus duodecennis sedet super rupem illam in medio doctorum, Lucae II. Et cum XXX esset annorum, super rupem illam sedens frequenter praedicavit. Haec Sarraceni de rupe illa

0242

0222

0282

0182

0332

0132

0732

Ende

Anfang

